

# VITA SANCTI ARIDIÏ ABBATIS.

(Ex vetuste ms. Cod. sancti Galli a D. J. Mabillonio eruta.)

**1283** IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, INCIPIT PROLOGUS SANCTI GREGORII TURONICI EPISCOPI, DE VITA BEATI ARIDIÏ LEMODICINI ABBATIS.

I. Quoties sanctorum gesta narramus, et in eorum actibus et exemplis mentem figimus, vel imitatores esse desideramus, ne in hujus exsiliæ ærumna laqueo capti teneamur. Tantum igitur a superna gratia illustramur, quantum humiliato corde ad alta Dei contemplatione conscendere valeamus. Ideoque libere non audemus cum possimus, sermone vel tenui ædificationis pandere historiam plebi: præsertim cum apostolica admonemur auctoritate de sanctorum vita seu virtutibus nonnulla commemorare, ut scriptum est: *Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, ut sit memoria eorum in benedictione, et nomen illorum permaneat in æternum* (Eccli. XLIV, 1); et illud: *Memoria sanctorum cum laudibus* (Prov. x, 7). Cum ergo anniversario curriculo sanctorum solemnia celebramus, aliqua ex eorum gestis ad ædificationem, convenientibus Christianis in laudibus Christi, recitare debemus. Quomodo igitur omnium pene miracula confessorum, et multiplices martyrum victoriæ jam monumentis litterarum habentur inditæ; nos modo, juxta qualitatem ingenii, vel exiguum aptare tentavimus hunc libellum, in quo de ortu, vel vita, seu et de glorioso sancti ac beatissimi Aridiï confessoris obitu, adjuvante gratia Christi, explicare curamus, ut cujus est vita **1284** cum Christo, memoria ejus cum gloria celebretur in mundo. Sancti scilicet patres nostri studuerunt in sæculo nihil amare, ut legaliter ac perfecte proximos diligerent, ut in una charitate conglobati, cohæredes Christi efficerentur et participes. Plerique vero a primæva ætate, nonnulli in adolescentia, vel in juventute, multi in senectute militantes, Domino adhærere conati sunt: ut qui dudum tentamenta mundi toleraverunt, quandoque ad Christum sine macula remearent. Plus namque ædificat exemplum boni operis cum simplicitate vigoris, quam multa prædicatio cum tumore vanæ gloriæ. Prædicator vero egregius, Doctor gentium, perhibet dicens: *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (I Cor. i, 27); et illud: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I Cor. iii, 19). Electi vero in prosperis mundi non elevantur, ut apprehendere valeant post triumphum coronam. Quia si consideremus, quæ et quanta nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo quæ cernuntur in terris.

\* Opusculum omnino mendosum ut legenti patebit, phrasibusque scatens imperfectis. EDIT.

<sup>a</sup> Vitam hujus sancti breviorē, quæ istius videtur Epitome, habetur inter Acta sanctorum ord. Benedictini, sæc. i, pag. 349, sed et cap. 29 libri x Historiæ nostræ Gregorii Turon. omnia fere quæ hic fusiùs narrantur paucis verbis exhibet.

<sup>b</sup> Roscindus dicitur in vulgatis Editis apud Gregorium, lib. ii de Mirac. sancti Martini, sed mendum

II. Igitur beatissimus<sup>a</sup> Aridius Aquitanæ provinciæ in ulteriore Gallia, quæ ad plagam respicit occidentalem, parentela nobili generatus, Lemodiæ civitatis oriundus fuit, ut esset lucerna cunctis fidelibus, Domino condonante militibus suis. Pater vero ejus, cognomento Jucundus<sup>b</sup>, genitrix vero beata Pelagia vocitata est. Quibus vita testatur esse religiosa, ut imitantes exemplum Zachariæ et Elizabeth (Luc. i, 46), nisi quod Joannes in medio non erat, incedentes in mandatis Dei, ut es ent sine querela. Natus ergo Aridius atque **1285** nutritus est in fide recta, denique a parentibus christianis catholica religione imbutus, jam pueritiæ annos excedens, ævum adolescentiæ cum magna industria gerebat. Cum autem cernerent parentes ejus in adolescentia filium salubrem viam adeptum, studio religionis ornatum, tradunt litteris erudiendum. Qui mox in tantum divina gratia illustratus est, ut multi mirarentur ejus eloquentiam in ejus verbis, cujus sermo dulcis ore mellifluo flagrabat cunctis. Cor senile gerens, nulli animum voluptati dedit, ne captus ærumna sæculi teneretur obnoxius.

III. Interea regi præcellentissimo Theodeberto commendatur, ut eum instrueret eruditione palatina. Iuvenit ergo Aridius gratiam coram Domino et coram rege, et ferebatur ejus testimonium ab omnibus, in tantum ut cancellarius prior ante conspectum regis assisteret; crescebatque honor cum magno favore de die in diem; omni ex parte probatus vernabat in aula; a quo tanta familiaritate habitus est, ut plurimis felicitas ejus ingens gignèret odium. Oderat quippe superbiam, diligebat veritatem: sed plane illum boni admirabantur. Sectabatur itaque indeficiente charitatem, mansuetudinem, et humilitatem. Diligebat enim Dominum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente sua. Erat quoque serenus conspectu, tranquillus moribus: semper opera bona factis amplius quam verbis ostendebat, spem suam semper Christo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens, semperque mens ejus præcepta cœlestia meditabatur.

IV. His ita gestis, non post multum temporis, cum jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Domino exhibere sanctificatum, ac metuens futura tremendaque judicia, ut ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspectu viri beatissimi Nicetii episcopi confessus est. Denique communitus interea divinitus per præfatum Ni-

illud sustulimus ex Codd. mss. Pelagiam laudat idem Gregorius, potissimum in lib. de Gloria conf. cap. 104. Cæsarium Arelatensem episcopum, et Aredium<sup>a</sup> abbatem ex eadem stirpe prodiisse, qua postmodum exortus est sanctus Geraldus, comes Aureliacensis, scribit sanctus Odo Cluniaci abbas in ejusdem Geraldii Vita.

<sup>a</sup> Sic etiam nomen ejus scribitur. EDIT.

cetium, Trevirorum civitatis episcopum, sæculi pom-pam fugiens, mundi oblectamenta, ac regalis palatii vanas superstitiones, et indisciplinatas sociorum fabulas declinando, se sub regulæ censura, ad contemplandam cœlestis patriæ palmam contulit; sicque sibi austeram imponens poenitentiam cœpit viriliter colluctationi carnis spiritus fer vore resistere. Proponebat namque sibi adversus præsentis carnis ardores futuri supplicii ignes: *In laboribus scilicet, secundum Apostolum, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in suavitate, in patientia multa, atque in charitate non ficta* (II Cor. vi, 6). Precabatur igitur Dominum pro donis cœlestibus, orabat Christum diebus ac noctibus: adimebat sibi saturitatem panis, ut posset cœlestem sibi promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpusque ejus valde aridum marcescebat; sed mens ejus æternorum æstuabat desiderio. Semper autem præsentis vitæ terminum intuens, ac futuram Domini sententiam, seu metuenda judicia formidabat, sciens quod scriptum est: *Beatus homo* **1286** *qui est semper pavidus* (Prov. xxviii, 14); nec non et illud, quod a Job dictum est: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum* (Job. xxxi, 23); et illud Apostoli: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini* (Philip. ii, 12). Ante Dei namque conspectum noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis rigans, oculis ad cœlum elevatis, illum semper respiciebat, quem fortasse vel in minimis delinquendo se offendisse timebat, ac cum lacrymis Davidica voce hæc verba enixius deprecabatur: *Tibi soli peccavi, miserere mei, Domine, secundum magnam misericordiam tuam* (Psal. l, 6, 7). Et semper ad illud tendens, quod Apostolus dixit: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Dominus diligentibus se* (I Cor. ii, 9).

Hæc igitur meditando, quanto plus proficiebat, tanto amplius humiliabatur, juxta quod Veritas in Evangelio dicit: *Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur* (Luc. xviii, 14). Quanto plus humiliatus fuisset, tanto amplius proficeret; et ut etiam quanta fuit ei mœstitia, tanta fieret venia. O profunda benignitas Domini! o simplex poenitentia! frequentique jejunio misericordiam quam poscebat a Domino impetrarat. De talibus quippe per prophetam Dominus dicit: *Dedi ei timorem et timuit me, et a facie nominis mei pavebat* (Malac. ii, 5). Hinc iterum scriptum est: *Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est* (Eccli. xxxiv, 16). Et rursus: *Timor Domini expellit delictum* (Eccli. i, 27). Inter hæc autem Dominum pleno vigore deprecatus est, ut ejus poenitentia ante Christi conspectum esset accepta. Deinde his initiatus armis, in Christi militia se arctius stringens, ad normam irradiabat Ecclesiæ.

V. Quadam die dum cursum tenens purissimæ conscientiæ, veniens columba delapsa de camera, considens super ejus caput, pergebat cum eodem comitata per plateam, quam remove a se vir Dei Ari-

A dius non poterat, donec sui pontificis ingrederetur cellulam. Cum vero declinaret dies ad vesperam, redibat ipsa qua venerat. Mane autem facto, revertente jam clero ad ecclesiam, ipsa super caput ejus, sicut prius fecerat, descendebat. Qua per dies triginta, sicut ipse secrete locutus est, non cessante columba, hanc verecundiam vir Dei pertulit, datam supernam gratiam præsigneabat, ut aperte daretur intelligi, jam tunc divina largitione semel super eum Spiritum descensurum. Unde et Veritas discipulis testatur, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23); quia dignum erat ut innocentiam mentis custodisset, ei visitatio Spiritus sancti adesset.

B VI. Tum deinde audita vir beatissimus morte patris, pro matris suæ consolatione Lemovicum regressus est. Igitur beata Pelagia, mutato sæculari habitu, induitur sanctimoniali vestimento, efficitur in Dei amore religiosa, filium bene conversum Dei hortatur ad præmium. Qui mox vir beatus eremum **1287** petiit, et in concavum saxum se retrudens, ibique diebus ac noctibus sine cessatione Domino supplicabat, et hostem invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; precibus, non ferro; orationibus, non telo. Cunctis horis cunctisque momentis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi laborem posset pervenire ad bravium. Cum per aliquot dies inibi esset cum magna abstinence, auditis his ejus genitrix, ad pedes filii provolvitur, rogavitque eum exinde egredi, ut monasterii cellulam, ubi prospere aspiceret, in villis amœnis ædificaret.

C Tunc et locum amœnum vir Dei Aridius reperit, de eodem saxo, in quo erat reversus, fere trium millium, ibique monasterii cellulam ædificare cum magna industria cœpit, quod cœnobium nuncupatum Atano <sup>a</sup>. Ibi orationi intentus, et incumbens lectioni, quo vacabat, venerabilis mater ejus laborans per agros, alimoniam corpori quærebat: quæ vero post conversionem vita acta sit... Deinde pollebat vir beatus magis magisque in vigiliis, et jejuniis, vel in orationibus, atque in charitate. Cœpitque ejus fama divulgari, confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenæ vel monachi. Multitudo etiam pauperum, sicut apes ad alvearium, ita conveniebant ad eum, in tantum, ut quancunque pauperes confluebant ad eum, nullus vacuum ab eo recederet. Quid plura? quidquid ex possessione parentum nobilium habuit totum in pauperibus, vel in cœnobiis, præcipue ad beati Martini Turonensis, vel ad sancti Hilarii Pictaviensis ecclesiam, seu per diversas ecclesias vel etiam monasterio suo omnem possessionem distribuit; auri vero argentique metalla in pauperibus dispersit, sciens Apostoli præceptum: *Habentes autem victum et vestitum his contenti sumus* (I Tim. vi., 8); et: *Qui volunt divites fieri in hoc mundo, incidunt in*

<sup>a</sup> Hodieque subsistit apud Lemovices, sed in collegium canonicorum conversum, sub jurisdictione ca-

pituli sancti Martini Turonensis. Oppido nomen dedit quod vulgo Saint-Irier appellatur.

tentationem et laqueum diaboli (I Tim. vi, 9); et : *Desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem (Ibid.)*. Considerans quippe quod scriptum est, *Date elemosynam, et omnia munda sunt vobis (Luc. xi, 41)*. Et Veritas ait : *Centuplum accipiet et vitam æternam possidebit (Matth. xix, 29)*. Et alibi scriptum est : *Elemosyna a morte liberat; et qui eam fecerit, non ibit in tenebras (Tobiæ xi, 9)*. Hæc autem quotidie adimplebat; semper ad elemosynam largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus in humilitate profusus, in charitate perfectus. Nunquam otio indulsit, quo non aut lectioni vacaret, aut opus Christi perficeret, aut certe manibus opus aliquid ageret, aut denique sacros Codices scriberet. Maxime autem decreverat, ut in vicinas dioceses sacros Codices, quos ipse manibus suis scripserat, distribuere; memorans illud quod Apostolus dixit, quia *Otiositas inimica est animæ*. Ad ista igitur omni tempore non cessabat. Cum autem jam monasterii cellulam ædificasset, **1288** quo opus cœptum pergisset, necesse est ut de ipsius miraculis aliquid Christo auxiliante explicare valeamus. Qualiter elemosynis, vigiliis et orationibus se Dei servus indulserit, prædicanda miracula publicaverimus alacriter: de quibus multis brevissime credimus pauca narrare.

VII. Accidit homini Dei Arvernensis iter ut ageret, eo irruente nocte, aquam non inveniret, ut ad manendum se conderet. Cumque quærerent ministri ejus huc et illuc, et non invenissent, tum Aridius defixit in arena baculum. Quo retracto, de terræ foramine fons abundans exsillivit, ut fluentia aquæ undantis sufficerent, et in tantum postea irrigarent, ut illic pecora biberent. Sic vir iste magnus fuit in miraculis, et Moysi typum gerens, qui percussens petram aquam populis in solitudine præbuit.

Dedit deinde operam, comitesque sui itineris, quos religio claros reddebat, elegit. Collecto sane cœtu, omnium orationum suffragia postulat, ut venturo itineri solamen largitor pietatis tribuat; et sic cum eisdem, Christo duce, ad locum ubi sancti Dei martyris Juliani membra sancta fuerant sepulta, accedit, agnitis qui secum clementis judicis voluntate adessent. Cumque ad eum locum pervenissent, postulat ut reliquias sancti martyris votiva mente sua ipse mereretur. Sed custos basilicæ beatissimi martyris petenti denegavit. Moratus ibi paululum, et quærens, nec prorsus inventiens, progressus exin, accedit ad locum ubi venerabilis martyr a persecutoribus, transactis jam longævis temporibus, decollatus fuerat, et cum plenissima devotione de eodem loco parvissima saxorum, quod vulgo sabulum dicitur, in chrismarium quod colibe suo gestabat læto animo pro sacratis sancti martyris reliquiis condidit. Cumque de eadem provincia remeare cœpisset, tanta horum multitudo, qui a malignis spiritibus vexabantur, ejus vestigia cum magnis clamoribus prosequabantur, ut tantorum viri scribantur tot nomina. Pervenit ergo fama beati

\* Id est ad episcopum Arvernensem, in cujus diocesi tunc exstabat Brivatensis ecclesia.

A Viri ad aures pontificis civitatis illius, qui illico cum suis sancti Viri vestigia prosecutus, et mox ejus pedibus provolutus, cœpit ab eo petere ut tandem ad tumulum sancti martyris remearet, et sacras ejus reliquias deportaret. Tunc ille ait : Hoc quod mihi omnipotens Deus largitus est munus, cum eodem iturus, ipso comitante pergam. Nam Creator omnium Dominus duo virtutum miracula in eodem loco ostendere dignatus est. Cumque Vir Deisuum chrismarium aperuisset, reperit diversos pretiosos lapides de saxis quæ de fonte abstulerat, ut mira virtus sancti martyris per diversa terrarum loca declararetur, et Viri Dei fides probaretur, et multis ostenderetur. Cumque ad locum hunc, ubi Vir Dei oratorium condiderat, sacrum munus cum magno gaudio condidit, ibi quoque omnipotens Deus multa **1289** signa et mirabilia declarare dignatus est.

VIII. Nec non prætermittendum est quod Christi famulo collatum est. Quadam die viator dum iter arripit incederet, flante ventorum turbine, cum pluvia talis circa Aridium sic fremeret, ut rivis imber efflueret, et ipsum agmen ac suos ministros gutta nec una perfunderet: quo, divisa tempestate, alicubi turbo se verteret, et ipsa nubila aerem fugarent, dum pavescunt viatorem. Si igitur conditori omnium mare et venti obdierunt in fluctibus, et facta est tranquillitas magna, imo et fideli suo jussit hanc virtutem cunctis videntibus ostendendam. Quodam tempore cum ad maturitatem segetes aristas armassent, et jam se aggravatæ meti poscerent a cultore; enormitas erupit pluvix, ne quisquam fruges colligeret, ut in suis spicis grana latentia germinarent. Interea suggeritur ipsi a populo, facit vigiliis intercessor. Sequenti igitur die reliquiis sanctorum apprehensis, opportune et venerabiliter coopertis de palliolo serico; diacones in albis exeunt ad processum: plebs clamat pro nimborum incurso. Quibus Vir sanctus respondit: Qui jussit aquam creati, potens est hunc imbrem sedare. Tunc mox de templo progressi sunt, subito nubes excisæ sunt, sol in claritate reducit, serenitas cœli mundo redditur, ad opera cultor trahitur, et ad manipulos colligendos messor frugibus invitatur. Nec illud prætereundum est in simili causa quod gestum est. Dum Noniaco colonica sua in honore beati Juliani martyris oratorium conderet, et imber gravis irrueret: ipso vero orationem Dominicam memorante, nimbus impetum detorsit, tempestas repulit turbine, pluvia abcessit, locum vel sanctum virum Aridium cadens gutta non tetigit.

IX. Addatur hoc in pagina, quo rerum crescent miracula. Quadam die, eodem sancto viro in oratorio orante, Ardiardus quidam, Nivardi filius adolescens, exanimatus deportatur, et ante sacrum altare in oratorio beati Juliani martyris deponitur a parentibus. Rogatur ut vivus reformaretur a Domino. Tunc vir reverentissimus, pietate scilicet motus, lacrymis vim ingerens, aspiciens ad cœlum Dominum deprecatur.

b Confer librum de Mirac. sancti Juliani cap. 40.

Dehinc appellat infantulum, sed corpus jacet exanimè. Hora fere transacta, exsuscitatur puerulus, clausos aperit oculos, et loqui posse incœpit redivivus. Sic fidelis miles tantis virtutibus pollens, et gratia divîna accinctus, ut sicut Creator omnium rerum filium viduæ adolescentem resuscitavit de grabato, et reddidit matri suæ illæsum, ita vir Dei Aridius valuit obtinere orationibus suis apud Dominum adolescentem esse vivificatum.

Quædam mulier grande vulnus habens in facie occurrît sancto Aridio sanari exorans. Tum illa vexillo crucis signata, illico circumstante populo, tumor vulneris aperitur, **1290** et in similitudine nucis minoris velut petra de ipso progreditur. Quæ sine dilatione sana domi revertitur.

X. Adjiciatur operi res adjuncta mysteriis. Filius Dulcissimi quidam, Ingratius nomine, in grabato jacens, funeri exhibitus a patre, tantum distentus tumore, ut intra se sua lumina ablata fuissent. Tum vir Domini Aridius, oratione pro eo data, de oleo benedicto perungit oculos ejus: quos cum illiniret ex fide, mox quidquid morbi fuerat, tacto fugit ab unguine.

XI. Dum ad profectum sancti viri, atque ad altam Dei contemplationem se sublevant quantum possunt, divinitus eos [agi] credendum est. Quodam tempore affectu pietatis Lemovicum civitatem veniens, audit complures nuper mortis sententia damnatos teneri in carcere vincetos. Aridius ergo memor verbi Domini dicentis: *In carcere eram et venistis ad me* (Matth. xxv, 36); et: *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (Ibid., 40), cogitavit si quo modo possit liberare eos. Cumque ad requiringendos reos appropinquasset carceri, confestim divino nutu, velut magno ferientis impulsu contractæ seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, et omnia vincula compeditorum resoluta sunt. Eadem nocte quasi solis claritas intus apparuit, et lux in tenebris emicabat, custodes pressi a somno, et ad tumultum sacratissimum sancti Martialis antistitis a cuncti fugerunt de ergastulo. Sicque orationibus beati Viri de carcere vel de morte liberati sunt.

XII. Prosit auribus populi Dei quæ profuit lumini. Nivardi præfati filia, nomine Acteledis, lumen oculorum perdidit, ut nullatenus videre potuisset. Quadam die deducta ad virum Dei Aridium a parentibus suis, ut illuminaretur, exoratur. Cumque prosternerent se ad sacerdotis vestigia, tunc Vir sanctus, signatis ejus oculis, atque intra se Dominum rogans, mox incolumis reddita, quæ fuerat duce pertracta, ductrix redit ad patriam.

XIII. Exempla quoque justorum avidius instruunt sequaces, quam sermo prædicationis multorum. Cum quadam vice properaret vir Dei Burgundiam ad regem, pietatis præ causa, invitatur sedulo a duce Antestio, ut diverteret ad ejus domum, cui semiviva filia decubabat in lectulo. Quæ cum ad extremum

A exhalaret spiritum, ingressus vir Dei Aridius domum, data oratione pro ea, lætificata domum adipiscendo remedium puella redit de transitu. Ille etenim qui jussit filiam archisynagogi infra cubiculum resuscitari, mortuam petenti se tribuit, ut hæc de morte reverteretur ad vitam. Quædam mulier, nomine Bessa, pro infirmitate debilitatis membris, digitis attractis, incurvatis articulis, suis gressibus imbecilla, prona precatur se sanari. devota supplex attenuata: mox Aridius cruce a sancta manu tacta crurum tendit **1291** in pagina, nervi laxantur in organa, et diutius præstolata tandem sese membra recognoscere meruerunt. Sicque orationibus sancti Viri sana facta est.

Ascribantur præconia quæ juste referuntur ad palmam. Quædam mulier prope jam morti credita vulnus in collo gestabat: occurrit sancto Viro obsecrans ut super hoc sanctæ crucis armaret vexillum, mori timens. Cumque super vulnus Christi signum deprimeret, repente mortui sunt vermes, femina rediit incolumis.

XIV. Dum majora miracula sanctorum conspiciamus, et amplius in amore Dei enixius convertiamur. Puella namque de urbe Petrocoria [Périgueux] ad Dei hominem veniens, taliter contracta, ut de suis calcaneis adhæsa sibi tangeret crura, longo jam tempore gressibus condemnata: quam Vir sacratissimus non prius dimisit quam languor eam dimitteret, et pedibus incederet, quæ prius manibus ambulabat. Igitur sciscitans studiosè an haberet in Christo spem, si se crederet sanandam quandoque. Illa autem in omnibus fidem dante, fixit genua Aridius in terra, et proluxe oravit: deinde oculos pariter et manus ad cælum tendens, Dominum Jesum Christum fide plenissima promissionis suæ admonuit, quæ dicit: *Quidquid credentes petieritis, fiet vobis* (Marc. xi, 23); et: *Si habueritis fidem, non solum hæc signa facietis, sed majora horum facietis* (Joan. xiv, 12). Cumque hæc pleno vigore ac devotione deposceret, conversus ad puellam dixit: Si fideliter credis, in nomine Domini Jesu Christi surge, et sta super pedes tuos. Et mox surrexit, et solidati sunt pedes et membra ejus, et sana facta est ex illa hora.

Item de eadem urbe altera ad eum venit femina, simili infirmitate condemnata: cumque sancti viri manu attractata fuisset, directa rediit ad propria; et senior cucurrit viam, quam non transcendit juveneula.

XV. Quoties ad alta Dei omnipotentis animum elevamus, vilescunt animo quæ in terris conspiciamus, ut accepta gratia divinitus supernam patriam penetremus, ut puta vir iste qui tantis virtutibus adornatur, terreno contagio non offuscatur.

Quidam vir eognomento Addo, filius cujusdam Proculi, ad beatissimi Viri venit præsentiam sic debilis, ut de vestigiis calcaneum faceret, nec potuisset separari res infeliciter glutinata, tunc quærens a sancto Aridio remedia. At ille signo crucis superfingavum directus dicitur in Gregorii Historia, lib. viii cap. 45.

<sup>a</sup> Vide Gregorium in lib. de Gloria conf. cap. 28.

<sup>b</sup> Is est fortasse Antestius qui a Guntramno Ande-

posito, qui claudus genibus venerat, directus pedibus **A** ambulans, basium suarum reductus est vestigis.

XVI. Adjiciantur virtutes operum quibus vera esse creduntur. Vir aliquis de territorio Betorico, contractis nervis, vestigio debilitatus occurrit, ad monasterium concitus venit, et ut sibi vir sanctus succurreret deprecabatur suffragia. Suscepit vir Dei Aridius causam mercedis, oratione pro eo fusa cum benedictione, **1292** rediit incolumis sancta manus quod tetigit.

XVII. Acquiratur pagina, quod præstet gratia. Leonacter quidam insania corporis ita demens effectus, ut aliud non esse crederetur quam rabies, cuius furor horribilis nimis non ferebatur, etsi nimis vincitus manibus ac pedibus alligaretur in vinculis, et violentia oppressus adhuc catenis constringeretur, hoc superadditus dolor pœnæ collideret, et sic crudeliter fremens tandem ad sanctum Dei Aridium perductus est. Nec mora aliqua, facto signo crucis fronte armatus, in momento ab hoste antiquo liberatur simul vinculo, qui postea clericus effectus est, et ad meliora opera cum cantico Christo dependit servitium. Sed mira dispositione omnipotentis Dei agitur, ut quos præmia divina ad meliora non invitant, temporalia flagella erudiant.

XVIII. Eodem vero tempore quo miles Christi degebat in terris, Ferreolus pastor ad gubernandam plebem sibi commissam Lemovicum civitate præsul venerandus aderat; sed quoties ipse pontifex febribus urgebatur, aut aliqua ægritudine in gravi dolore atterebatur, ad virum Dei Aridium dirigebat nuntios, ut pro eo plenius ad Dominum intercederet. Qui celebratis pro eo vigiliis, obtinebat pro pastore, venerabilis abba pro antistite, et abjectus et humilis pro sublimate. Et quia crescens pagina majora tegit miracula, proferatur in medium de quodam cæco claro mysterium. Vir aliquis lumine deceptus longo jam tempore tenebris pressus, crassa caligine nubilus, ad beati viri cellulam pede tendente deducitur, quem vir sanctus miseratus ut vidit, ei visum orando restituit, et remeat ad regionem claro jam lumine illustratus.

XIX. Jucundum est proferre quid gloriosum fuit memoriæ. Quidam vir, nomine Witrimundus <sup>a</sup>, cognomento Atto, tam crudeliter dolorem dentium incurrerat, ut nulla intercedente venia dolor eum imminens non relaxaret. Tunc ad sanctum virum, cum beato Martino occursum devote redderet, veniens, et interrogatus cur ejus una maxilla videretur inflatior, et ille se torqueri dolore dentium gravissimo responderet; tum Vir Dei faciem turgidam palpavit tactu mollissimo, dicens: Sanaberis a Domino, obtinente Martino famulo Dei fidelissimo. Itaque mox at a Justo inchoatus sermo completeretur, salus denti refunditur, dolor cum tumore curatur.

<sup>a</sup> *Witrimundum, cognomento Tattonem, civem Turonicum appellat Gregorius libro x cap. 29; Guietremundum alterius Vitæ auctor.*

<sup>b</sup> Confer caput 39 libri ii de Mirac. sancti Martini;

XX. Quædam mulier, Ricovera nomine, conjux Turonci monetarii, cum sancto viro mediam ampullam cum oleo benedicendi causa fideliter obtulisset, tunc Aridius, facto crucis signaculo, et alteram ampullam, in qua de oleo beati Martini continebatur <sup>b</sup>, proferens de chrismario, superjecta gutta ampullæ mediæ, tanta inundatione olei virtus **1293** exsilivit, ut repletæ ampullæ alibi oleum tolleret, nec aliquid de redundanti benedictione periret. Quæ utrisque benedictio æquanimiter profecit, et ille qui petenti dedit, et petens quæ meruit.

XXI. Hoc quoque paucis conceditur, ut tantis miraculis miles Christi ametur. Decreverat quippe Vir reverentissimus, ut pro lucranda cœlestis patriæ palma, Turonos ad beati Antistitis festivitatem occurreret. Denique quodam tempore accidit ut ad præfatam urbem Vir sanctus properaret. Igitur cum pontifex civitatis illius cum clero in ecclesia psallendi officium nocturno tempore enixius ageret, diaconus ejus dum in ecclesia caueret, somno gravatus est; cumque eum episcopus cerneret dormientem, ait ad eum: Quare obdormis, frater? Qui de somno erigilans, ait: Videbam te, domne mi, egredientem foras ecclesiam, et in obviam beati viri Aridii properantem. Cumque diaconus vix sermonem complexisset, statim nequam spiritus in quodam homine exclamavit se sancti Aridii præsentiam ferre non posse. Quo audito, episcopus cognovit quod vir Domini Aridius adveniret: moxque in obviam Abbatis episcopus cum cereis accensis præ foribus ecclesiæ occurrit, ac cum magno gaudio et exultatione in ecclesiam ingressi sunt, et pene tota nocte in divinis officiis perduraverunt. Nam multi ægri, vel diversis infirmitatibus astricti, sano vigore, orationibus vel intercessionibus ejus, ad propria regressi sunt. Alio rursus tempore cum ad eandem festivitatem Turonos occurrisset, et alicujus paralytici <sup>c</sup> crura blanda adhibitione contractaret vir Dei Aridius, testabatur quod sancti Martini manum vidisset, qualiter debilia membra dirigeret, et sic paralyticus Sancti dextera tangente se suis vestigiis protinus direxisset. Tanta vero curationum virtus divina gratia illi collata præmicuit, ut quisquis infirmus advenisset, pleno vigore sanatus incolumis recederet. Energumenis vero tam celeris salus est reddita, ut ingentis multitudinis non præscriberentur tot nomina.

XXII. Si per singula recenseantur miracula, valde incongruum non est ut credantur tantæ virtutis alloquia. Quodam tempore Vir Dei egressus de basilica, peractis nocturnis vigiliis, vidit globum luminis de cœlo descendisse super ejusdem cellulam, credensque splendorem ipsum ab homine fieri, interrogat Vir Dei a suo discipulo, quis est ille qui cum facula per hortum hora tali ambularet. Interea cum admiraretur, protinus globus ipse qui apparuerat desuper cella, re-

cap. 24 libri iii; et cap. 9 libri de Gloria confessorum.

<sup>c</sup> Id ipsum miraculum de paralytico narrat Gregorius lib. iv de Mirac. sancti Martini, cap. 6.

volvitur ad sidera, ipse vero cum metu et tremore A expansis manibus divinæ potestati luminis gratiam deferebat. Scilicet interrogatur a monacho, qui hoc cum eodem videbat, quid esset hoc miraculum tantæ claritatis visio, ut taliter revelarentur beatissimi Sacerdotis mysteria. Cui respondit vir sanctus: Sile, sile, insipiens, cognosce quia beatissimus **1294** Martinus visitat hanc cellulam dignatione præcipua, et ad cælos remeat cum lucis fulgidæ gloria. Sed quem divina gratia protegebat, dignum erat ut illustrante Spiritu sancto acciperet visitationem: sed amicus Dei cavens jactantiæ vitium, præcepit discipulo ut nulli hanc visionem diceret quousque migraret ad Dominum. Sic fidelis miles regulam magistri Mediatoris Dei tenuit, qui transfiguratus in monte discipulis præcepit ut nemini visionem quam viderant dicerent, B donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Perpende igitur quanto igne amoris Dei et proximi vir iste accensus erat, qui tale revelante Spiritu divinitus meruit accipere donum. Quia *Deus ignis consumens est* (*Deut. iv, 24; Heb. xii, 29*), Jacobo attestante, qui ait: *Omne datum optimum et donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac. i, 17*).

XXIII. Illis ita gestis, vir sanctus jugiter intentus manebat divinis officiis. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Erat quippe in elemosynis largus, in oratione devotus, in vigiliis sedulus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone pacatus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus, inter odia beneficus, in prosperis etiam et adversis semper in cælum intentus, in charitate, *quod est vinculum perfectionis Christi* (*Col. iii, 14*), perfectus: sinceritatem quidem mentis vultus serenitate monstrabat, et pietatem cordis ostendebat in lenitate sermonis. Nihil ejus risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius, nihil quippe ejus animo clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Si pauperem vidisset, sustentabat; si divitem, ad bene agendum cohortabatur, Deum invocans testem pro ipsius nomine cuncta hæc agere, illud jugiter memorans, quod Veritas in Evangelio dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth. v, 7*); necnon et illud: *Verumtamen date elemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc. xi, 41*); et alibi: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita elemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli. iii, 33*). Hæc præcepta jugiter memorans enixius adimplebat, eratque pes claudorum, et oculus cæcorum, orphanorum pater, viduarum consolator. Quem autem cæcum non suum vocavit hæredem, aut quem debilem non ejus sustentavit manus? Hoc jugiter comitatus incedebat exercitu, in his etiam Christum conspiciens se amplectere gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat: et ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens, substantiam suam gaudebat cum Christo sociare, ut

Christus faceret eum cælestium sibi regnorum hæredem, sciens namque scriptum quod illa bona hæreditas, quæ Domino custode servatur. Ejus namque monita apud suos nihil **1295** fuerunt aliud, quam divina magisteria, et fundamenta sacrarum Scripturarum. Dignum est enim ut eum boni diligant et imitentur, noxii timeant, quem divina virtus illustravit, ut donum a Deo perceptum cum doctrina melliflua, et sancto Spiritu condita, de Christi desiderio salsa, et de æterna beatitudine semper sollicita.

XXIV. Si consideremus quæ et quanta omnipotens Deus per Sacerdotem suum operatus est, prolixior pagina styli promulgatur. Solent plerumque pessimi male blandientes consiliis regibus terrenis corda subvertere, juxta Salomonis vocem: *Colloquia mata corrumpunt bonos mores* (*I Cor. xv, 33*). Quodam tempore accidit ut populis tributa vel census a regibus fuissent descripta. Quæ conditio universis urbibus per Gallias constitutis summopere est adhibita. Scilicet pro hac re vir reverentissimus, pietate motus, ad regis præsentiam properavit, ut suggestionem daret pro civibus qui gravi censu publico fuerant edicto ascripti. Sed cum scriptum sit: *Cor regis in manu Domini* (*Prov. xxi, 1*), quidquid petiit, sanctus vir a rege devotus obtinuit. Accidit igitur ut reverente eo de itinere, quodam vico Catuliaco veniens, eodem scilicet die quo resurrectionis dominicæ celebrarentur sancta mysteria, invitatus a populo cœpit sanctis vacare officiis. Celebrante autem eo divina solennia, puella quædam, quæ a dæmonibus graviter urgebatur, exclamavit se sancti viri non posse sufferre præsentiam, quæ tamen nomen ipsius incognita invocabat. Qui videlicet juxta morem solitum exercens opera pietatis, peractis divinis mysteriis, ad orationis portum profugiens, ut ne diutius ab antiquo hoste puella vexaretur, intercessor assistit. Erant enim in ea septem nequissimi spiritus, qui dum orationi incumberet, statim quinque dæmonia expulit deprecando. Residentibus adhuc duobus, præcepit vir beatissimus parentibus puellæ ut ab ecclesia non discederet, donec quod residuum fuerat maligni adversitatis expelleretur e corpore. Igitur veniens vir sanctus ad ecclesiam, ubi eam stare præceperat, adhibitis secum monachis suis, prostratus orationi, a Domino valuit obtinere ut duo dæmonia quæ residerant expulsa fuissent, qualiter mente sincera, sensuque firmato, remearet ad propria.

XXV. Alio quoque tempore cum vir Dei pro lujuscenodi conditione quasi occulto adventu regis ex peteret præsentiam, properavit itinere. Cumque Parisiorum civitatis claustra fuisset ingressus, populus urbis lujus gravi febre, dysenteria et morbo pessimo laborabat, ita ut nec numerus corporum præ multitudine morientium diebus singulis, præcipue infantium turba, æstimari potuisset. Quodam vero die dum a pontifice civitatis illius non immerito venerabatur affectu, petiit ut eum secum paucis diebus charitatis officio retineret, ut intercessor pro populo **1296** existeret ad Dominum. Igitur dum petitionibus ejus

vir Dei Aridius obtemperare voluisset, contigit ali-  
 quibus e suis in eodem tædio pessimo graviter inci-  
 disse. Scilicet vir beatissimus confidentiæ tenore in  
 Domino securus, solita prece pro plebe civitatis illius  
 exorabat, quos blanda exhortatione suis scilicet ser-  
 monibus consolare non desiit, ut nullus de pietatis  
 Dominicæ misericordia desperaret. Qui videlicet jus-  
 sit sibi oleum benedictum exhiberi, et singulorum  
 cum crucis signaculo manu propria ora naresque per-  
 fudit, dicens ad eos: Consolanini in Domino, et vi-  
 cissim vos adhortamini, fratres, omnes vos incolumes  
 restituit dextera Christi, et ad suos ita locutus, dicens:  
 Nolite quæso vos, fratres mei, nolite contristari, sed  
 potius vos viriliter confortamini, et de misericord. a  
 Domini enixius confidite, quia omnes vos divina po-  
 tentia restituit incolumes regioni propriæ; interea  
 revolvens in animo suo ubi regis sciret esse præsen-  
 tiam, ut scrutatus deberet expetere. Relictis igitur  
 fratribus in eadem civitate, cum paucis comitantibus  
 properans, tenuis [locum] cognomento Brinnaco a  
 carpebat iter. Dum procul dubio viator assisteret,  
 sequentibus se dixit: Regem cognoscite gravi febre  
 perurgeri, et pene vitæ ipsius hactenus finem immi-  
 nere, sed clementia Domini pro respectu pauperum  
 nobis eum salubriter visitantibus liberabit. Hoc quo-  
 que secretius retinete. Post hos vero paucos dies  
 proles ipsius quæ adhuc sospites esse videntur mi-  
 grant a sæculo. Per Spiritum scilicet prophetiæ co-  
 gnovit vir Dei Aridius quod postea probavit eventus.  
 Cum vero ad locum memoratum sanctus Dei famulus  
 pervenisset, cognito rex ejus adventu, cubiculum  
 suum eum introduci præcepit, credens se ejus orati-  
 onibus in Domino adjuvandum. Quapropter cum in-  
 trogressus fuisset, reddito salutationis officio, cœpit  
 eum manibus suis palpare, qui intra se Dominum  
 precibus postulabat, ut petitionibus suis rex præbe-  
 ret assensum. Qui dum commodius de anxietate suæ  
 infirmitatis inter sacras manus beatissimi viri cœpisset  
 habere, suæ causam conditionis exposuit: sed  
 favente Deo, qui cuncta regit et omnia disponit sua-  
 viter, quidquid Dei Sacerdos apud regem poposcit,  
 facili obtentu potuit promereri. Adjiciensque rex ut  
 libros ipsos, quibus inscriptus pro gravi censu popu-  
 lus regni ejus tenebatur afflictus, sancti etiam viri  
 pro respectu, vel stabilitate sua, manibus ejus tra-  
 didit, ut ipsos sui auctoritate incendio concremaret.  
 Tunc Aridius, receptis libris, jussit prunas parari.  
 Quo facto apprehensos manibus suis ipsos libros,  
 multis etiam circumstantibus in incendio concrema-  
 vit. Obtena ergo petitionis suæ causa, post diem ter-  
 tium principii valedixit.

**XXVI.** Quodam vero die priusquam Parisios **1297**  
 perveniret, hoc quod suis comitibus non longe ante  
 dixerat, illic comprobavit eventus. Referente procul-  
 dubio nuntio cognovit vir Dei regis obiisse filios,

<sup>a</sup> Vide Gregorium, lib. v Historiæ cap. 35, ubi de  
 hac dysenteria, regis ejusque liberorum morbis, cen-  
 sualium librorum combustione, etc., agit. Nihil tamen  
 illuc habet de sancto Aredio.

<sup>b</sup> Videtur esse vicus apud Bituriges, hodieque

A quos jam ante ipse prædixerat, et cum magna fune-  
 ris turba Parisios deportandos. Qui dum aliquatenus  
 ad præfatam urbem rediens pervenisset, reperit po-  
 pulum civitatis illius jam a dysentericæ morbo divino  
 auxilio liberatum. Invenit etiam quemdam de suis  
 collegis, nomine Constantinum, gravi mortis periculo  
 subjacentem. Nonnullos vero quos mortuos fuisse  
 comperit, orationibus suis incolumes reddidit. Tum  
 deinde hortatur a suis, ut ille qui pessimo succubuc-  
 rat tædio, in loco aliquo commendaretur tali personæ,  
 ut cum de hac luce transiret, cespitis huius tumulo  
 clauderetur: ita duntaxat jam fuerat vicinæ morti  
 propinquus. Sed vir beatissimus miseratione motus,  
 solita pietate promptus, allevans eum supra vehicu-  
 lum quod sedere consueverat, regimine ducitur alieno.

B Qui cum videlicet jam in tertia die itineri insisteret,  
 afflictus tædio, mortis ictu percussus, corruit exani-  
 matus in terram: quod cum cerneret beatissimus  
 vir, compuncto corde, cum gemitu et lacrymis  
 enixius orationi vacare cœpit. Qui cum ab oratione  
 surgeret, conversus ad corpus, dum manibus suis eum  
 palparet, cœpit oculos suos aperire; et non post lon-  
 gum horarum spatium, præda mortis evicta, redditur  
 luci jam prius incolumis; qui fuerat deperatus  
 de vita, restituitur sanitate continua: qui igitur lenio  
 sermone aquam sibi poposcit expendi, cum vagantes  
 cuncti huc atque illuc anxie quærerent, minime in-  
 venirent, quia ille locus aquæ erat proculdubio steri-  
 lis, sed sanctus Dei Sacerdos paulisper se declinans,  
 percutiensque ictu baculi terram, aqua prosiliit  
 C abunde. Qui mox petenti in vasculo detulit. Sic sitis  
 ardor deprimitur, pallor a facie fugatur, vultus in  
 rubore mutatur, erigitur pedibus; et qui fuerat mor-  
 tis occasu damnatus, sospes patriæ præsentatur. Qui  
 postea multorum annorum duxit curriculum.

**XXVII.** Annectendum est virtutum miraculis, quod  
 corda audientium illustrentur exemplo. Cum jam e  
 vicino patriæ jungeretur vico quodam Argentomao <sup>b</sup>,  
 ibidem Artemius quidam, unus de monachis, oppor-  
 tune suggestit, ut alimonia fratribus parari deberet.  
 Cui ille ait: *Quærite primum regnum Dei, et hæc  
 omnia adjicientur vobis (Luc. xii, 31); et illam Psal-  
 mistæ vocem: Inquirentes autem Dominum non defici-  
 ent omni bono (Ps. xxxii, 10).* Sed hæc a me ac-  
 cipe, frater charissime, cum fluminis hujus alveum  
 D pertransieris, leva oculos in partem dexteram, op-  
 portunum invenies locum, ubi possumus nos vel ve-  
 hicoli nostri famis inopiam temperare. Cumque ad  
 locum eundem sibi præceptum venisset, reperit ibi-  
 dem duos intræ magnitudinis pisces, adhuc maxime  
 vivos. Quibus assatis, vir Dei Aridius ex ipsis in re-  
 sectionem **1298** partem accepit, et plerique ex  
 ipsis usque ad satietatem visi sunt comedisse. Sed  
 ille in cujus nomine retia laxaverunt apostoli in  
 fluctibus, et illa trahere non valebant præ multitu-  
 dine, Argentomao dictus, baud procul a monasterio Salensi  
 (*Saint-Benoît du Sault*) situs, ubi Marcellus et Anas-  
 tasius pro Christo passi dicuntur, apud Usuardum  
 in Kal. Julii.

dine piscium, et his distribuit esurientibus cibum. A

XXVIII. Dum iterantur virtutes sanctorum, fidelium mentes velut sitientes profunda Dei mysteriorum satiari desiderant. Quodam tempore, dum positus in itinere carperet viam, appropinquans cuidam vico Argentomao, concionatus est se sequentibus, dicens : Tacite transeamus, ne nobis inducatur mora itineris. Scilicet erat hic locus profanus, superstitionis antiquæ dæmonum cultibus consecratus, quo in loco populus Christianus inhabitans non potuit ferre miseriam, quia infirmitatibus variis subjacent, vel etiam ab ipsis dæmoniis assidue agitantur. Cumque voluisset vir Dei Aridius latenter fugere a populo, et ille secrete oraret, commota est infirmitatum multitudo populi, proprium nomen ipsius invocantes, quia procax dæmonum turba se a sancti viri adventu celare non poterat. Igitur dum eum sequeretur populi multitudo languentium, respiciens post tergum stetit, et protinus ad orationis studium se in terram prostravit, rogans pro illis Dominum, ut juxta fidem illorum essent salvati. Cumque ab oratione fuisset erectus, crucis vexillum illico super singulos impressisset, tum hi qui languoribus variis detinebantur, vel illi qui a spiritibus immundis vexabantur, adjiciens oleum cum benedictione, Domino gratias referentes, sanitati pristinae ab infirmitatibus vel a dæmonibus liberati sunt.

XXIX. Quos elegit Deus ante constitutionem mundi, hos despicit sublimitas reproborum. Hic vir sanctus abjectus fuit inter homines, et minimus a sæculi conspectibus, sed maximus inter sanctorum agmina prælatus. Quodam tempore in itinere positus, die quadam declinante ad vespem, nec procul a vico, cui vocabulum est Mœno, jussit ut itineri terminus poneretur, et sarcinas quæ jumenta vehabant loco congruo relaxarent; cumque locum amœnum, aspectuque delectabile manendi spatium vidissent, cognoscens vir beatissimus per spiritum prophetiæ quæ essent illi postmodum ventura, hortatur paterno alloquio collegas suos, quibus sciebat maximam injuriam imminere, et allocutus est dicens : Viri fratres et filii, multam credite nos hac nocte injuriam perpessuros, sed confortamini, et confidite nos cœlesti auxilio liberari. Neo aliqua mora, cum cœlum sidereo splendore serenissimum cerneretur, subito in tonitruo commovetur terra, quasi a stabilitate sua præ sonitu gravi in tremorem convertitur, denique conturbantur nubes in aere, apparent tetro colore per sidera; et quæ fuerant candore perlucidæ, vertuntur in pluviam concitæ, crebrius micat **1299** coruscus e cœlo quod fuerat offuscatum: videlicet non longe ab ipsis erant tria idola cultu gentili dicata, cum aera fulgoribus urgerentur, in impetu tonitruum ita eversa sunt cœlitus, ut nulla exinde in crastinum fundamenta idolorum reperirent. Eodem ictu fulguris igne micante, silvam, quæ ab ipsis eminens cernebatur, ingens ignis ex parte exustam

concremavit, et arbusta eruta ventorum impulsio prostravit. Sed tali timore qui cum Dei homine erant perterriti sunt, ut nullus se posse evadere crediderit, metuentes ut plaga Dei super eos descenderet. Inde frequenter hortabatur suos orationi insistere, et tota nocte in psallendi officio perdurare. Locus enim ille ubi vir Dei Aridius ad manendum diverterat, humiliori loco aliis videbatur, quo cæteri sua tentoria fixerant. Ita enormitate aquæ cuncti sunt madefacti, ut nihil remansisset in vestibus ubi aquæ impetus non percurrisset: sed sanctus Dei Sacerdos capsulam quam cum sacris reliquiis collo suo appensam portabat, circumspiciens comites, superposito palliolo et stratorio ubi requiescere debuerat, tanquam si solis ardore attactus, ut nullum sensisset locus ille humorem.

XXX. Neque silendum est illud, quod virtuti congruit. Accidit quodam tempore, orto inter duos principes bello, Lemovicum populus regionis civitatis ipsius formidantes mœnia rumpere, et in desolatione redigere et destruere: quibus directis nuntius a rege missus, quorum ditioni populus subderetur, et jam depopulata urbs esset in obsidione. Igitur quidam ex ipsis, Domaricus nomine, qui cum aliis ad occupandam civitatem venerat, sanctum Dei virum aggredditur, solerti cura sciscitans eum, ut quidquid per revelationis spiritum cognoverat, futura prædiceret. Quibus silentio ita locutus est: Quanquam sciam vos regem metuere Theodebertum\*, hoc scitote quod regnum ipsius nuper aufertur, sed hætenus citius interimitur. Rex autem vester multarum scilicet gentium augmenta adversus illum commovebit, super quem victoria ei donabitur: obtentâ videlicet pugna victoriæ fraudulenter decipitur, sed a filiis nepotibusque suis, regnum ipsius traditur gubernandum. Cæteri vero reges, quibus stabilitate regnum stare videtur, interveniente articulo mortis pressi in ignobilitate rapiuntur a sæculo, sed præfatus Domaricus ad bellatores regressus est. Nam quod vir Dei Aridius prædixit, ita postea rei probavit eventus. Sed inter hæc cætera bona, sermo quoque ei sapientiæ atque scientiæ affluenter collatus erat, charitatem et humilitatem super omnia possidebat, fatulos quoque non ut servos affligebat, sed benigna charitate diligebat. Quid pluribus immeror? In omni conversatione sua quasi lucifer intra astra cœli refulgens instar **1300** magni lampadis micabat. Semper enim perfectus æmulabatur ad bonum, semperque aliorum virtutes sibi proponebat exemplum. Tardus erat ad loquendum, et velox ad audiendum, eratque elemosynis dives, charitate longinimis, humilitate sublimis, sermone subtilis, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio, utile nempe vas in Christi domo.

XXXI. Plerisque sanctorum convenit esse credendum, ut futura prophetantes per Spiritum prophetiæ aperta consideratione divinitus gesta narren-

\* Is est Theodebertus Chilperici filius, qui, Gundobaldo duce devicto, Lemovices et vicinias provin-

cias diripuit, ut narrat Gregorius libro v Hist. cap. 48, et tandem occisus est a Sigiberti exercitu, cap. 51.



tar. Ita et h'c vir Dei, illustrante superna gratia, A per revelationem sancti Spiritus annuntiabat quæ hominibus essent ventura. Quidam vir ex civibus Lemovicum civitatis, cognomento Nectarius\*, non inops rebus, sed locuples divitiis, unicum habens filium, intelligente beato Dei famulo subito illi mortis imminere incursum. Quapropter vir reverentissimus nuntium direxit parentibus suis, ut antea quam morti puer occumberet, suo præsentaretur aspectui. Tum audito genitrix nuntio prorupit in lacrymis pro sobolis internecone. Interea cum paucis sibi famulantibus beati viri obtemperat jussioni: cumque proficisceretur viam, ut prædictoris veritas probaretur, vi febrium ingenti attackta pueri membra solvuntur, et demisso capite, clausisque oculis, pene mortuus esse videbatur. Et cum vir B sanctus hujus rei expectaret eventum, cernentes adolescentem esse exanimum, illico erumpentes in fletum vociferantes famuli, qui cum summa festinatione venientes ad Dei hominem properant. Scilicet pietate motus suscipiens puerum exanimum ad reliquias sacratas beati Hilarii antistitis credidit exponendum. Qui pro eo magnis orationibus et precibus Domino commendavit, ut qui quadriduanum Lazarum reddidit vivum de sepulcro, huic quoque puero subveniret propitiis. Consummata igitur oratione, qui exanimis esse cernebatur, statim restituitur matri incolam: et quem crediderat mortuum tradere sepultoræ, cum eodem magno gaudio exultantes domum revertuntur alacres.

XXXII. Hæc igitur, sed et ana quamplurima his C similia quæ per singula prosequi longum est, plerumque vir Domini Aridius prophetiæ gratia ornatus prænuñtiavit. Multa etenim sunt quæ per beatissimum virum omnipotens Deus virtutum opera declaravit, quæ dum sæpius revolvuntur, semper accrescunt quæ miraculis intueantur. Sed hæc, videlicet quæ superius, pauca de pluribus comprehensa sunt. In terris degens ut incolam, postquam cœlestem acquisivit palmam, ad Christum remeans a sæculi laqueo eductus, non minimum referendum nobis reliquit exemplum, quam vivens potuisset operari in mundo. 1301 Sed nunc longum est per singula virtutum ejus miracula verbis enarrare, præsertim cum liber jam supra modum refertus postulans finem sermonem rejiciat, et ariditas sermonis nostri attenuata, vel longo tramite pene defessa succumbat: non quod omnia quæ de eo narranda erant explicavimus, qui nec ad centesimum quidem ejus virtutum operum attingere potest, quanta in Virum beatum operum bonorum ornamenta, quæ sunt maxima et pretiosa supernæ remunerationis contulerit prærogativa. Hoc igitur restat, ut ad finem termini valeamus pervenire. O vere imitabilem virum! o quam præferendum omnibus ejus exemplum! o semen secundum Abraham benedictum! Nempe Abraham benedictio meruit filium, Aridius vero benedictus transfertur in cœleste regnum; Abraham tradit hære-

dem, hic nihilominus hæreditatem; postremo Abraham quod habuit pignus exhibuit, Aridius vero totum quod potuit habere in mundo, Domini scilicet arbitrio juriq; commisit. Sufficiat ergo hæc dixisse. Jam vero, ut spero, etsi rustico sensu sermonem prolixum duximus, quanquam ejus meritis digna præconia nullatenus narrare sufficeremus. Nunc vero tam ad audientium ædificationem dignum esse puto quam et legentium, si quomodo ex hac vita ad Dominum migravit, paucis verbis explicare curavero, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, amen.

INCIPIT DE TRANSITU SANCTI AC BEATISSIMI ARIDIJ ARBATUS ET CONFESSORIS.

XXXIII. Igitur cum jam vir Domini senilem æget ætatem, cum jam mundi adversa cunctosque labores æquanimiter tolerasset, postquam fidelissimæ dispensationis creditæ sibi undique merita cumulavit, post multiplicia misericordiæ opera, post monachorum cœnobiiorumque mancipatum, post dulcia vitæ exempla, post bonorum omnium et virtutum miracula declarata: vergente jam ætate, cum autem esset annorum amplius octoginta, sciens jam dissolutionem sui corporis imminere, dixit ad suos monachos: Scitote, charissimi fratres, quia me Dominus de laqueo hujus sæculi in proximo liberare dignabitur. Cum hæc audissent, ex eo sermone cuncti tabefacti atque in angorem conversi, cœperunt mœrentes dicere: Non contingat, domine, hoc famulis tuis videre, sed magis annis multis ad ornatum Ecclesiæ Beatitudinem tuam Christus hic vernare permittat. At ille cum lacrymis vel longis suspiriis dixit ad eos: Non nostra, sed potius Domini ex hoc sit voluntas. Porro ad hæc verba cunctis mœrentibus ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite contristari, sed magis gaudete et exultate, quia olim hoc tempus desiderabam, hanc remissionem percipere cupiebam. Illis itaque in angorem conversis, 1302 atque suspirantibus, nihilominus et rei ambiguitate detentis, a colloquio cessatum est. Igitur nec mora aliqua, post hæc levissima febris infusa corpori tædiari cœpit. Deinde vocato quodam puero præcepit, dicens: Festina, fili mi, perge cito ad virum illustrem Astidium, dicesque ad eum ut celeri cursu veniat, quia hujus cœnobii regiminis curam post dies obitus mei ipse recipiet. Et rursus ait: Quoniam si moram aliquam fecerit, faciem meam in hac vita jam non videbit. Nuntius quippe jussa complevit, sed præfatus Astidius veniendi causa tarde occurrit. Cum autem adfuisset, virum Dei jam superstitem in hoc sæculo non invenit. Itaque ut vir Dei prædixit, ita postea rei probavit eventus. Interea, ut dicere cœperam, cum vir beatus ultimam decumberet ægritudinem, nec quidem a Dei opere cessabat, bonam hanc consummationem virtutum suarum existimans, si ad finem usque perduceret. Pernox enim in orationibus et vigiliis, membris fatiscens, Deo spi-

\* Is est, uti videtur, qui beati viri testamento subscripsit.

ritum et mentem servire cogebat, et nimium lætus A cupitum iter expectabat. Igitur cum jam propinquum diem sentiret, congregatis ix Kalendas Septembris discipulis suis, quos jam corpore non spiritu incipiebat relinquere, dixit ad eos : Utinam, dilectissimi fratres, parvitatæ meæ audire sententiam [velitis]. Si vere mei amatores estis, Christi monita amate, Dei tremenda judicia jugiter formidate. Quales eritis in die iudicii præsentandi sollicita consideratione cavete. Ego enim jam gradior viam meam, sed et ego cupio dissolvi, et, si Dominus permiserit, esse in requie. His ita dictis, cum omnes flerent et ejularent, ait ad eos : Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum : mementote ergo admonitionem meam, et cogitate omnes de vobismetipsis. Hæc quæ dico assidue agite, hæc sapite et retexite, et memoriam meam semper vobiscum retinete. Jam ultra Aridius non erit in hoc sæculo vobiscum. Cum hæc audissent omnes qui circumstabant, ingenti gemitu et fletu levatis, consona voce omnes flebant, dicentes : Cur nos, pater, deseris, vel, cur tam cito a nobis recedere cupis? Scimus quidem te desiderare Christum, sed salva tibi sunt tua præmia, nostri quoque miserere quos deseris. Absentiam tuam ferro non possumus, quia similem tui nunquam postea habebimus. Doleat tibi, pater, ne tam cito relinquant nos orphanos. Talia quippe eis deflentibus, piissimus ille pastor faciem ubertim lacrymis rigabat : et cum esset pius, nec hoc deserere, nec a Christo valebat diutius separari ; tandem ergo inter amaras lacrymas resumens verbum, dixit : Nolite ex hoc contristari, et ne quæso, nolite amplius fletu vexari de abscessu meo ; gaudere vos magis oportet quam mœrere, quia etsi corpore absens fuero, spiritu præsens ero. Ego vero si quid agere potui, profectibus vestris militavi ; et quanquam ego infelix sim, Dominus autem semper est. Illi vos commendo, ipseque curam vestram **1303** committo. Scio quidem quia inutilis servus non gessi quod debui, Dominus autem scit quomodo volui. Post hæc quoque verba, vergente jam die, subito procidit in pavimento, et elevatis ad cælum oculis orabat suppliciter gemens atque suspirans : Commendo tibi, Domine Jesu, oves quas mihi credidisti. Commendans igitur Domino cum fenore quod ab ipso acceperat talenti munere, jam vero in extremis positus, vocatis ad se discipulis, amplexusque per singulos, flens, valedicensque omnibus, ait : Jam ultra non loquar ad vos, faciem meam amplius non videbitis, ideoque valete in pace, etiam me sentite quiescere. Illi itaque qui circumstabant audientes, nullo quiverant genere temperare a fletu. Vix tamen inter amaras lacrymas hæc verba solummodo resonabant : Dolemus quidem nostri causa, quod nos solatio abscessus tui destituis ; sed tui causa, Pater optime, consolamur ; quia post mundi hujus laborem ad requiem vadis æternam. Tunc ille oculis ad cælum elevatis tacitam precem fudit, deinde cum lacrymis ait : Memento mei, Domine, qui solus sine peccato

es, Redemptor mundi, et edue me corpore mortis, et salvum me fac in tuum regnum cœleste : tu es protector meus, Domine, in manibus tuis commendo spiritum meum. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, et non confundas me ab expectatione mea ; sed adjuva me, et auxiliare exitum animæ meæ. Aperi mihi, Domine, properanti januam regni tui, et principes tenebrarum non occurrant mihi, sed clementia tua protegat et defendat, ac manus tua perducatur me in locum refrigerii et consolationis, et vel in ultimo tabernaculo quod præparasti timentibus nomen sanctum tuum. Inter hæc etiam addidit, dicens : Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Et his dictis interverba orationis emisit spiritum (*Luc. II, 29*).

**B XXXIV.** Cum sancta illa anima carnis sarcina fuisset abjecta, statimque cum esset hora secunda noctis, visus est globus nimia claritate resplendens super ejusdem cellulam de cœlo descendisse, et subito ad sidera desuper penetrare. Hoc igitur ordine sancta ejus anima terrenis contagiis liberata, deducantibus angelis sanctis, ad suum auctorem revolavit læta. Vir quidem spiritum emiserat, luctus et fletus ad cælum resonabat. Compositum quidem ex more corpus, feretroque impositum, ibidem in psalmis et hynnibus totam noctem pervigilem ducunt. Cum autem lux diei fuisset exorta, convenit populi multitudo ; etiam cum et ad notitiam pontificis urbis Lemovicinæ pervenisset, quo audito, cum magno fletu celerique cursu occurrens, super corpus sancti viri diutissime flevit, quod eum vivum minime in sæculo invenisset ; et mox cum ad ecclesiam sancti Juliani martyris, quam vir sanctus edificaverat, ubi corpus sacrum jacebat, deportare voluisset, nullomodo feretrum vel paucum levare potuerunt. Decreverat autem vir Domini **1304** Aridius in ecclesia sancti Hilarii antistitis, quam et ipse suo opere edificaverat, corpus suum sepulturæ tradere. Tunc tristis valde Ferreolus pontifex effectus, indixit jejunium triduanum celebrare cum psallentio. Quod cum ita fieret, ipse cum suis indesinenter per illud triduum celebravit jejunium. Interea cum peractum esset jejunium, ait : Si Domini est voluntas, aut sancti hujus, ut illic eat quo ego vel plebs hæc cupimus, sine ulla dilatione elevetur. Erat autem locus in secretiori **D** parte. Cumque accessissent ad feretrum, ut eum levare conarentur, tanta mox celeritate levatum est, ut facile a duobus portaretur, quod antea nec a plurimis movebatur. Quod omnes qui aderant cum eodem pontifice cernentes, cum magna exultatione Christi gloriam magnificabant, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Cumque jam deportatum fuisset corpus ad sepulcrum, omnes qui aderant nullo genere temperabant a fletu ; patrem se perdere clamabant, et inter fletus et singultus vix hæc verba promebant : Cur nos, Pater, deseris, et cui alumnos tuos tradidisti regendos ? Igitur corpore ex more tradito sepulturæ, præfatus episcopus reversus est ad propria : Comparatur ita-

que, si placet, exsequiis hujus sancti viri, non dicam A funeris, sed potius triumphi, inanis gloria sæculi : conferatur si potest etiam virorum divitum pompa huic sacerdoti defuncto æquanda. Illos confusis plausibus turbarum honorat insania, Aridium mundi ærumna exutum angeli cum cœlestibus laudibus perferunt ad regna perpetua. Illi post sæculi pompas in tartara truduntur, hic post mundi adversa sinu Abrahæ lætus excipitur. Illi divitiarum opibus oppressi et defuncti præcipitantur in gehennam, Aridius vero elemosynis sublimatus cum sanctis resurget in gloria. Illi postremum lugent in inferno damnati, Aridius laureatus exultat Ecclesiæ cum cunctis a sæculo sanctis. Gratias tibi Deus noster, qui reddidisti ei magna pro parvis, et quiescere eum fecisti in gloria sempiterna, et illa evangelica promissione, ubi ait : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam* (Matth. xxv, 21), hic meruit audire : *Intra in gaudium Domini tui*. Et sicut de talibus per Salomonem scriptum est : *Iustus de angustia liberatus est* (Prov. xi, 8). Et per Jeremiam scriptum est : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (Jerem. xvii, 7). Hinc et David dicit : *In lege Domini voluntas ejus, et erit quasi lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (Ps. i, 2, 3). Hinc etiam per Isaiam prophetam Dominus dicit : *Ego vocavi eum et benedixi ei, et directa est via ejus* (Isai. xlviii, 15). Hinc quoque in libro Ecclesiastico dicitur : *Timenti Dominum bona erit in extremis, in die defunctionis ejus benedicetur* (Ecclesi. i, 13). Hinc et alibi scriptum est : *Bonorum laborum ejus gloriosus erit fructus* (Sap. iii, 15), et *in perpetuum corona ejus triumphat* (Sap. iv, 2). Hæc nos de obitu sancti viri sufficiat narrasse, ut ne legentibus fastidium ingeram. Verum et ejus **1305** vita terminetur, noster quoque terminetur et sermo.

INCIPI DE MIRACULIS SANCTI ARIDII ABBATIS.

XXXV. Nunc de multis miraculis quæ ad sacratissimum ipsius corpus Dominus assidue ejus meritis operatur, vel pauca de pluribus, quæ in calce ejus obitus ibi Jesus Christus declaravit, pro legentium opportunitate aggrediar, ideoque non valet mens humana in verbis erumpere, quantis mysteriis milites suos superna gratia illustrat. Quidam monachorum de viri sacratissimi cellula, nomine Baudenus, cum instrumentis chartarum, quibus monasterii possessio firmabatur, regionem Burgundiæ adire non distulit. Qui igitur expetens venerabilem et egregium antistitem, Syagrium Æduæ civitatis episcopum, eumque suis precibus imploravit, eo quod honore dignissimus præ omnibus in regis palatio habebatur, ut ejus patrocinio a diversorum æmulozum insidiis cellula tueretur. Qui scilicet petitionibus præfati monachi annuens, quæ petivit vir reverentissimus non negavit : sed etiam auctoritate regali instrumenta commisit, et ad regionem remeandi tribuit libertatem. Cumque transissent dies plurimi, et obtenta petitione

A festinaret, oppidum Lemovicæ regionis ingressus est. Quodam die in vico quodam, nomine Ricomago, virum magnificum Nectarium ibidem reperit ; et quidquid petitionibus suis eventus præstiterat, omnia patefecit. Qui dum interea percunctaretur ab ipso, cepit sermonibus suis vacillare, menteque lapsa, ac furibundo vultu, statimque prorumpens in vocem, causam sui operis silere non potuit, quod adulterii vitio fuerat ludibrose inquinatus. Qui dum frenderet dentibus, et se suis morsibus laniaret, chrismarium quod vir beatissimus Aridius gestare consueverat, et reliquias habere sanctorum, a se concitus excutens, projecit in terram. Et dum furor ingens illius sedari nullatenus poterat, vinculus custodiæ mancipatur. Interea unus e famulis præfati viri, apprehenso chrismario quod a se projecerat, nesciens inter vestimenta reposuit. Qui dum hoc ageretur, constipatis in unum rebus, onerare jumentum cœperunt. Nam cum super ipsum onus elevatum fuisset, sacro pondere constipatus, in terra corruens gressum ultra movere non potuit. Quid plura ? supponitur in allo, qui scilicet suscepto pondere, pari conditione idemque similiter in terra procubuit. Qui dum multis stimulis cruentatus urgeretur, nullatenus reddidit animos erigendi, quousque daretur causa intellecti culpa facinoris patefieri. Igitur dum arcibus furoris impetu suæ vesaniæ ageretur, exclamavit quod chrismario, quod se indigne deportasse dicebat, cum suis vestimentis esset astrictus ; et ideo vehiculum non movetur nisi fractenus tollatur, ubi potius est negligentia culpa. Quod videlicet scrutato marsupio **1306** illico repererunt, et pro veneranda devotione ac religione vir sublimis Nectarius puere innocenti cum reverentia honoris superimponit ; statim horarum solvuntur spatia. Præfatus namque Baudenus, cum antequam spiritu perturbaretur, utpote nec alio potest æstimari qui suo sensu non regebatur, coram omnibus extensis gressibus fugam iniiit. Qui dum in unius spatio horæ pene duodecim millia suis pedibus velociter curreret, fatigato corpore, semianimis corruit in terram : cumque a custodibus assecutus fuisset, apponitur mansioni. Exacta namque nocte diluculo consurgens, ad sacratissimum tumulum sancti Martialis cogente immundo spiritu se obtulit presentandum ; ibique ut professionem sui operis patefecit, expulso maligno spiritu, medelam meruit recipere sanitatis.

XXXVI. Sunt multa et alia, quæ post transitum sancti viri omnipotens Deus operatus est. Illiusmodi causa populis expectantibus, unus e familiaribus ad virum magnificum autedictum velocissimo cursu perveniens, nuntiavit conjugem suam gravi mortis periculo detineri, quem vero admonuit ut festinus adesset, si vellet eam reperire vivam. Qui interea confidens de Domini miseratione, puerum qui chrismarium sancti viri secum detulerat jussit concitus inantea properare. Cumque domum fuisset ingressus, omnis familia in luctu et lamentatione vacabant, eo quod tam repentine mortis articulo

subjaceret. Quæ scilicet oculis clausis iudicium morituræ ostentu gutturis apparebat, ubi gravissimus exortus fuerat nodus. Quæ etiam jam vocis officio obserato, ac caligantibus oculis, nec virum suum agnoscere poterat. At ubi chrismarium sancti viri collo morientis suspenditur, mors illico fugatur, statim oculi solvuntur in lumine, spiritus halitus salutis pristinae reformatur. Quæ eructans fortiter, ablato gutturis nodo, quod esu non acceperat revomuit, et restituitur vitæ cui mors imminabat in januis. Ipsum vero chrismarium vocatis sacerdotibus venerabiliter ad monasterium sancti viri deportatum est.

XXXVII. Sed quis singillatim omnia mirabilia quæ ad sanctum ejus sepulcrum Dominus Jesus Christus operatur assidue, verbis valeat enarrare? Quadam die decreverat mulier se sancti viri præsentia esse videendam, ut referret gratias. Nocturnas vigiliis celebrantibus monachis, Babolenus quidam habens filium, nomine Babolenum, qui gravi fuerat membrorum vulnere adiectus, deportatus a parentibus, ad tumulum sancti viri exponitur, qui dum in pavimento jaceret, nocte fere media puer prorumpens in voce, sensit membrorum compages locis quibus fuerant dissolutæ adjungi, qui videlicet se erigens e pavimento, solidatis membris stetit super pedibus suis: et qui fuerat manibus exhibitus ad sepulcrum, gressu proprio cum ipso suo parente gavisus, gratias Christo referentes, revertuntur ad propria.

XXXVIII. Intuendum summopere est quanta omnipotens Deus sanctis suis in hac **1307** vita gratiæ suæ contulit dona, ut ad majorem gloriæ cumulum ad supernam patriam remunerentur post triumphum. Iaque quidam ex monachis, nomine Gaudomerus, de monasterio Ambiacini, quod non longe ab urbe situm est, ipse vero a maligno spiritu detentus, ita ut visu quem cerneret morsu vellet decerpere, et in duabus vinctus catenis deducitur ligaminibus quasi reus ad judicem. Quadam namque die ad tumulum sancti viri deductus est, ibique redditus sanitati pristinae, ab adversario hoste a quo vexabatur ereptus est, in servitio omnipotentis Dei plerosque convertit. Nam catenæ quibus miser astringebatur, sponte solutæ sunt, ut miraculo duplici patefaceret quod in uno momento catenæ constipatæ confringerentur, atque a dæmonio obsessum divina gratia absolveret, ut liber Deo serviret, cui creatura omnis ingemiscit. Nam si quis exigente causa quæcumque fuerit ob culpam vinctus, vel catenis astrictus, si contigerit ut per agrum publicum, qui basilicæ ipsius proximus est, ducatur ligatus, mox ut contra eandem ecclesiam ventum fuerit, confestim disruptis omnibus vinculis solvitur reus, nec patitur ulterius teneri astrictus.

XXXIX. Mirandis rebus plus adhuc miranda succedunt. Quadam vero die duo muti venientes ad tumulum sancti viri, licet lingua rogare non valebant, sed fide. Peruncti igitur oleo, mox solvitur impetrante Domino lingua mutorum, et loqui cœperunt adorantes, et qui effecti fuerant elingues, protinus

A sermocinantur ad plebem. Electi quippe hoc in munere acceperunt, ut quanto magis virtutibus polleant, tanto etiam indignos se judicent, ne ad inanem gloriam rapiantur, ut dono non priventur superno. Igitur quatuor viri de diversis provinciis venientes, unacæcitate damnati, tunc prostrati in oratorio expectabant lumen, eventu quærentes sancti viri remedium. Interea dum preces ad sacram tumulum offerunt, unanimiter postulantes, illico cæcorum oculos aperit, qui longo jam tempore fuerant clausi, claro lumine adepti, poscentes limina templi.

XL. Multa quidem et alia ibidem jubente superna gratia ejus meritis operantur signa atque virtutes: inter quæ etiam et cicindelæ exundante ubertate oleo superfunditur. Ex quo etiam sancto liquore multi illic peruncti a diversis sanantur infirmitatibus, et benedicuntur ibi jugiter nomen Domini Dei æterni. Sed et ad ejus nihilominus lectum, qui situs est in monasterii sui prædio, multæ virtutes similiter declarantur. Sed et per diversa loca ubicunque sacræ ejus reliquiæ deportantur, vel quo etiam delatæ fuerint plurima signa virtutum, ejus merita revelante gloria Christi, enixius efficiuntur. Quæ omnia ex ordine onerosum duximus verbis prosequi, et ideo ea his paucissimis syllabis complexi sumus, quia iam cessare a colloquutione festinamus. Quæ vero si per singula, ut gesta constant, nunc **1308** enotare euraverimus, et modum paucissimi voluminis excedimus, et pro ipsa forsitan prolixitate fastidium legentibus ingerimus. Quæ vero nos minus enarravimus, palam omnibus fidem præstant, conspicientibus illa multimoda vincula compeditorum, quæ ad ejus sepulcrum in argumento rerum cernuntur appensa. Ex quibus etiam nos aut certe pauca, aut vix nulla commemoravimus, per id duntaxat quod in conspectu omnium apposita, velut nos locum, ita et omnes nos ambigimus nosse. Hæc quidem quamplura infra paucum tempore constant acta. Illa scilicet quæ deinceps per prolixa spatia temporum agenda sunt, qualia vel quanta fiant, quis modo æstimatione comprehendere valet, cum nunquam a Præsulis tumba hodieque restent fieri miracula. Sed quotidie ægri ad tumulum sancti viri veniunt, et ibi excubantes sani efficiuntur; cæci veniunt, et illuminantur; dæmoniaci veniunt, et liberantur; perjuri veniunt, et aut moriuntur, aut etiam a diabolo vexantur; ferro vincti confugiunt, et solvuntur; claudi carrucis advecti, consolidatis gressibus, ad propria ineolumes revertuntur. Multæ quidem sanitates ex eo, qui illic crescit, olei liquore perficiuntur. Quanti rursus a frigoribus vel diversis infirmitatibus detenti liberati sunt post transitum beatissimi viri, qui fuerant ab hoste captivi. Nam libelli pagina singillatim non potest adnecti, ut ne infirmioribus fide fastidium præparet, et dubitantibus sermo prolixior promulgetur. Hæc igitur pauca de pluribus dixisse sufficiat, ut quasi de diversis floribus in sanctæ Ecclesiæ sinu redolentes repleta multorum corda credentes, ut carpere perfectos fructus valeant, quos mundialis

delectatio non inquinat. Non potest enim et hic gaudere cum sæculo et illic regnare cum Christo; nec duobus dominis servire, Deo scilicet et mammonæ. Deponentes igitur opera tenebrarum induamus arma lucis, quia Creator omnium est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Testamentum sancti Aredii, licet in ms. Codice sancti Galli non habeatur, hic tamen referre visum est potius quam in appendice, ut polliciti sumus in notis ad cap. ut 29 libri x Historiæ, ubi a Gregorio laudatur. Dator autem nunc primum integrum ex archivio sancti Martini Turonensis.

TESTAMENTUM SANCTI AREDII ABBATIS ATTANENSIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sub die pridie Kal. Novembr., anno 11<sup>a</sup> 1309 regni domini nostri Sigiberti regis, Ego Aredius presbyter, et Pelagia, sana mente integroque consilio, iudices et arbitros rerumstrarum, metuentes casus fragilitatis humanæ, ne nos subito repentina mortis præveniret occasio, residentes, testamentum nostrum condidimus, quem ego ipse Aredius manu propria scripsi, et testibus numero competenti tradidimus subscribendum. Quod testamentum nostrum, si casu, jure civili aut prætorio, aut cujuslibet legis novellæ conscriptione, vel veteris valere non poterit, ad vicem codicillorum et omnium scripturarum, quæ firmitati consistunt valere jubentur<sup>b</sup>. Ut id fiat, detur, præstetur, illibatum in omnibus teneatur, secundum tenorem infra scriptum, quem Christo Domino adjuvante constituimus.

Itaque te, sancte Martine Turonensis, judicantes constituimus<sup>c</sup> ita ut per præpositam sanctæ ordinationis tuæ basilicæ. Quod vero tibi, vel quidquid unicuique donavimus, aut quod fieri rogavimus, hæc omnia potestate et sancta dominatione tua post obitum nostrum ut fiat et permaneat supplicamus. Ideoque donamus tibi, sancte Martine, per hujus testamenti paginam medietatem Griciensis<sup>d</sup>, aliam vero medietatem cum ædificiis, vel cum omni jure suo, Attano consistentes monachi nostri in perpetuum te, sancte Martine, defensante possideant: ea videlicet ratione, ut ad monasterium, quem Domino inspirante et adjuvante nos fecimus, et monachos quos ibi Deus

<sup>a</sup> Alii xvii, sed mendose; non enim tot annis regnavit Sigibertus. Ad ejus autem regnum, id est Austrasiam, Lemovices pertinuisse, non ex hoc solum loco probatur, sed etiam ex utraque hujus sancti Vita, et ex ipso Gregorio, lib. x Hist. cap. 29, ubi in aula Theodeberti regis educatus fuisse Aredius dicitur. Quin et idem patet ex pactione quæ lib. ix cap. 29, integra refertur.

<sup>b</sup> Mab., firmiter consistentur, valere jubemus. Mart. b., ad invicem quod cancellorum et firmitate jubentur.

<sup>c</sup> Mos., indicantes hæredem in titulum. In ra Mab., sanctæ ordinetur tuæ basilicæ... quod vero, etc. Porro ex hoc loco et sequentibus patet origo subjectionis monasterii Attanensis (quod hodie collegium est canonicorum sæcularium) basilicæ sancti

A per nos peccatores esse ordinavit, aut inantea Deus ordinare jusserit, id est tam de ingenuis quam de servis nostris, tibi, domne Martine, fecimus, ordinandos commendamus; ita ut si exinde, quod absit, quisquam abstrahere de potestate vestra voluerit, quæ tibi, sancte Martine, ad loca sancta amore Christi et in tuo honore vel sanctorum ædificata sunt, aliquo malo atque iniquo ingenio, quod Deus avertat, quem regendum gubernandumque dignum haberetur, absque procuratione sanctæ vestræ basilicæ ordinare aut subdere neglexerit<sup>e</sup>, sit per virtutes tuas anathema.

Portionem nostram de agro Sisciacensi<sup>f</sup>, hoc est domus et oratorium cum reliquis ædificiis, agris, silvis, pratis, pascuis et accolis [Ed., areolis], cum omni jure suo, sicut a nobis præsentis tempore possidetur, tua sancta basilica, domne Martine, sed et commendati monachi 1310 Attanenses, quos sub tuo patrocinio vivere sancimus, et qualiter Deum propitium habeatis, et mancipiola vobis ex ipso fundo Sisciacum tibi, domne Martine, atque tuis monachis condonavimus, quod est ad partem basilicæ tuæ, aratores tres, Parminum, Talasium et Claudium, seu et reliqua mancipia nostra, vel quæcunque nobis debita servitute debentur, exceptis illis qui jam liberi sunt, Clara scilicet et Marcia: Ursacium cum uxore et filiis similiter tibi ad servitutem donamus, ea vero conditione, ut quaternos aripennos vineæ colant.

Cellam<sup>g</sup> quoque nostram in honore sancti Medardi dedicatam, quæ sub Gaudomaro [Al. Gandomoro] sita esse videtur, et vulgo Exidolium appellatur, cum omnibus suis pertinentiis monachi Attanenses, te, domne Martine, defensante, possideant. Nonniacum<sup>h</sup> domum nostram cum ædificiis, vineis, silvis, pratis et pascuis, vel cum omni jure suo, similiter et Luciacum, Marcomonte, cum vineis, vel omni jure suo, secundum quod a nobis est Deo propitio possessum, monachi nostri Attanenses ut per te, sancte Martine, habeant volumus, et, te defensante, ut possideant rogamus, cum mancipiis, his nominibus, Parminio cum uxore et filiis, Leomere cum uxore et filiis, Armelio cum uxore et filiis, Rustico cum uxore et filiis, Claudio, Silvio cum uxore et filiis. Hi enim similiter quaternos aripennos vineæ monachis colant, uxores vero eorum decenos argentes singulis annis monachis suprascriptis nostris Attanensibus de ol-

Martini.

<sup>d</sup> Mart. b., Griciensis cum omni jure suo; aliam in Attano consistentes. In Mart. a deest in Attano.

<sup>e</sup> Mss., dignare haberetur, et tuæ piæ sanctæ procurationis, vestræ præpositus sanctæ basilicæ ordinare aut studere neglexerit.

<sup>f</sup> Mos. semper Fisciacensi.

<sup>g</sup> Hic articulus deest in Mart. a. Exidolium, vulgo Exideuil, castrum est vicinum Attanensi monasterio, quod passim ineniorat Gaufridus, prior Vosiensis in Chronico.

<sup>h</sup> Sic mss.; at Mos., Homacum, Mab., Memacum. Me mac locus est monasterio ordinis Benedictini illustratus.

vant. et nihil amplius ab eis ullus ullo tempore exigere præsumat. Peculiaria vero eorum, campellos et vineolas, nullo inquietante possideant, ea vero conditione, ut nec vendere, nec alienare præsumant. Sauriniacum <sup>a</sup> vero domum nostram, quæ portio nostra dicitur [Al., debetur], præter id quod dedimus, vel id quod vendidimus, cum vineis, pratis, silvis et pascuis, medietatem basilica tua, domne Martine, hæres instituta recolat <sup>b</sup>, et medietatem monachi nostri Attanenses per te ut habeant, humili supplicatione deposcimus. Eufrasium et Meroalidum vitores vineæ [Al., basilicæ] tuæ deputavimus, domne Martine, ea vero conditione, ut quaternos arpennos vineæ colant et deligant [Al., dirigant].

Valentinianum pariter monachis supra scriptis deputamus, ut et ipse quatuor arpennos vineæ colat <sup>B</sup> monachis, et nihil amplius. Uxor **1311** sua Subfronia, et filios, si habuerint, in libertate permanent. Basilica sancti domni Martini dedimus portionem nostram ex fundo Rosiaco <sup>c</sup>, domum nomine Juliaco <sup>d</sup>, cum omni jure suo. Similiter et dono Genuliacum cum ædificiis, pratis, silvis et pascuis, vel omni jure suo, sancto Martiali volumus esse donatum. Et de Sauriniaco, vineæ cultæ arpennos quinque, quos Provincianus vititor coluit, et in Negiaco vineæ cultæ arpennos quos pro oblata nostra donamus, ut servientes sancto Martiali vel matriculæ suæ per sanctum hæredem nostrum accipiant. Area cum domo nostra intramuranea Lemovicinæ civitatis cum ingressu et regressu ejus, basilica tua, sancte Martine, et monachi nostri Attanenses æquali successione possideant. Similiter in Issandone castro <sup>e</sup> aream intramuraneam cum domo nostra simili æquitate possideant [Al., possidete].

Eustriaco portionem nostram Florentiæ et filiis suis volumus esse donatam, et liberi nostri, quorum nomina sunt inferius comprehensa, sub defensione tua, sancte domne Martine, consistent; id est Castorio cum uxore sua Lymphasia, Octardo cum uxore sua Exsuperia, Aquilino et Pascentio cum uxoribus eorum et filiis, Malloste cum uxore sua, Antedia cum filio suo, Leotchardo cum uxore sua Gaudiosa, Gariabauda cum uxore sua, Faustino cum uxore sua Ermentaria, Joanne cum uxore sua et filiis, Marometa cum uxore sua Sanctonidia, Frontuino cum uxore sua et filiis, Antonia <sup>f</sup>, Nimasio cum uxore <sup>D</sup> sua Maria, Majoriano cum uxore sua Gerontia, Leoneto cum uxore sua Bajola, Basulo cum uxore sua

<sup>A</sup> Avencia, Mauricio cum uxore sua Margaridia, Saniello cum uxore sua Marcella, Leontio cum uxore sua Eumina, Uretia, Eulia <sup>g</sup>, quam redeminus captivam, Romana cum filiis, filios Burgoneri, Frontasio cum filiis. Hildemodum cum uxore et filiis liberos esse jubemus, cum campellis et vineolis eorum, vel quantumcunque peculiaria habent, aut habere potuerint inantea volumus esse concessum, ea tamen conditione, ut de campellis vel vineis vendere nec donare habeant potestatem. Proculam et Macedoniam similiter ibidem deservire jubemus, necnon et mancipiola hæc, et agnitio <sup>h</sup> eorum inferius comprehensa, decernere servi nostri jubemus, Solemio cum uxore sua et filiis, Maurenciano cum uxore sua Valeriana, Aligilio cum uxore sua Basilica, Aliasio cum uxore sua Florentina, Specia cum uxore sua Eugeria [Al., Eugenia], Lupicino cum uxore sua Hoctorecia cum filiis, Francardo cum uxore **1312** sua Orogia cum filiis, Amareto cum uxore sua Savina, Frangomere cum uxore sua Leoboda, Partenio cum uxore sua Mariosa, Sonulfo [Al., Ronulfum] cum uxore sua Anima et filiis. Agnitio eorum diximus, sed et aliquos ex ipsis liberos fecimus: hi vero cum campellis eorum, et vineolis, vel quidquid habere <sup>i</sup> videntur, aut adhuc venire poterint habere decernimus, ita ut singulis annis terna pondo carræ inferant nostro, et singulis mensibus eulogias vicissim ad missas nostras revocent, et inferant in altario quinos argenteos, et donent exenio <sup>j</sup> secundum quod paupertas eorum parare potuerint: nihil amplius ab eis aut a basilica sancti Martini, aut a monachis nostris requiratur, quam quod scriptum est implere debeant.

Et istos liberos nostros et liberas nostras, quos nobis bonæ memoriæ genitor noster Jucundus <sup>k</sup> per testamentum suum commendavit, similiter et filios quos pro remedio [animæ] bonæ memoriæ fratris [Al., filii] nostri Eustadii liberos fecimus, tibi, sancte Martine, defensandos commendamus. Et si quis eis amplius præter hoc quod eis injunctum est, in quolibet inquietare aut dominare voluerit, tu, sancte Martine, defendas. Nam et mulieres istas, quas inferius ascripsimus, id est Baudonidia <sup>l</sup> cum filiis suis, Habenda, Allovera, Fraternalia, Amasonia, Artemia, Susanna, Proba, Probatia, Frotania, ut singulis annis singulos trientes monachis nostris dissolvant, et nullus eis magis requirere præsumat, ne incurrat quod supra comprehensum est. Caballos et jumentis

<sup>a</sup> Mab., *Cauriniacum*. Mos., *sanctum Caurimacum*.

<sup>b</sup> Mab., *Martine, habeat [sicut] instituto hoc recollitur*.

<sup>c</sup> Mos., *Rosiaco*. Et quidem hic videtur designari *Moutier-Rouseil*, ubi monasterium exstitit jurisdictioni sancti Martini omnino subiectum, uti hodieque subsistit, hæc in collegium canonicorum conversum, e! Albussonium nuper translatum.

<sup>d</sup> Sic Mart. et Mos.; alii *Viliuco*. Mos., infra, *Gemiliacum*.

<sup>e</sup> Castrum est ad Viseram situm, vulgo *Issaudon*.

<sup>f</sup> Alii, et filii *Antonie*.

<sup>g</sup> Alii, cum uxoribus suis *Cumina*, *Ursecia*, *Lucia*.

<sup>h</sup> Sic quoque pro *Agnatio* scribitur in legibus Visigothorum.

<sup>i</sup> Alii, aut adhuc habere potuerint, et possidere decernimus.

<sup>j</sup> Alii, terna pondo carræ inferant, afferant nostra, et in singulis mensibus singulos condonas vicissim missas nostras revocent. Mabillonius legendum suspicatur, terra pondo carræ inferant monasterio, seu cameræ inferant monasterii.

<sup>k</sup> Sepultus est in ecclesia sancti Michaelis Pistoriensis in suburbio Lemovicensi, quæ ecclesia hodieque sancti Martini jurisdictioni subiecta est.

<sup>l</sup> Al., *Lindonidia*... *Abenda*.

cula nostra, seu vaccas, oves et boves, et porcos, lecturia, utensilia per domos, vel quidquid per cellaria aut areas nostras post obitum nostrum invenerit ordinator sancti Martini, medietatem pauperibus eroget, et aliam medietatem monachi nostri supra scripti percipiant.

Addimus etiam mancipia, quæ colonaria appellantur, et nobis tributaria esse perhibentur [Al., debentur] medietas ad basilicam tuam, domne Martine, et alia medietas monachis nostris proficiat, et reddant omnes singulis annis trientes. Hoc est Eulodio cum filiis qui nobis esse debentur, Renchardus cum filiis, Friardo cum filiis, Amanda cum filiis, Gundemero sine [Ed., cum] filiis, Dominica cum filia. Idcirco præfata mancipia his sanctis locis donavimus, ut ipsorum merces nos peccatores [liberet].

Quod unusquisque locus sanctus constitutus ibi habeat ministerium <sup>a</sup> declaratum, **1313** rectum duximus inserendum: id est turres quatuor, cooper-turiolos holosericos tres, calices argenteos quatuor. Duo sunt ansati, comparati solidis tricenis. Nam ille medianus præ auro fabricatus valet solidos tricenos, et ille quartus valet solidos tredecim. Patenam argenteam valentem solidos septuagenos duos. Cooper-toria holoserica quatuor, unus valet solidos tricenos, alius solidis sexdecim, tertius solidis quindecim, quartus solidis quadragenis quinis. Duo ex ipsis auro sunt fabricati. Item cooperitorium lineum ornatum valens solidis quatuor, pallas corporales quatuor, cooper-torios holosericos tres, minores quinque, et pallas, tribunalia [Al., tribunæ] in basilica valentia solidia duodecim, et alia quotidiana valentia solidis sex, et alia quotidiana quæ sunt ante altare valentia solidis quinque. Vela ornata de ostio majore valentia solidos tres. Alia vela de ipso ostio valentia solidos tres. Item velum ad ostium minus valens solidos duo. Item velum pictum valens solidos quinque. Similiter in oratorio sancti Hilarii coronam cum cruce argentea deaurata cum gemmis pretiosis, plena reliquiis sanctorum dominorum, et suo ornatu, valentem ad æstimationem solidos centum, habens corona illa in se pendente folia ex auro et gemmis facta numero octo; et in illa cruce similes factæ duæ, et nimitatæ gemma grande circumcirca auro, et subtus crucicula ex auro, et gemmulenas octo. Pallam holosericam cum suo ornatu valentem solidos duodecim. Item pallam super altariolo sancti Hilarii linitam auro, et margaritis fabricatam, valentem solidos triginta. Velola per ipsius oratorii parietes tria holoserico ornata, valentia solidos octo. Item pallam super altario domno Hilario quotidianam, valentem solidos duo. Item velum in domo Hilarii dramioserico, valens

<sup>a</sup> Id est, supellectilem sacram

<sup>b</sup> Sic Mos.; at Ms., *nostro*; et infra Mos., *quinque auro exornatas*. Sanctum Maximinum Aredius suis patronis accensebat, quod diu Treviris fuisset moratus.

<sup>c</sup> Petierat Aredius corpus suum in oratorio sancti Hilarii sepeliri, ex ejus Vita, cap. 34

<sup>d</sup> Mss.: *Attanenses nobis vivis monachi Vosidensi*

**A** solidos quadraginta. Item in domno Maximino velola tria. Ante altare unum vermiculum, valentem solidos duo, et illa alia duo, valentia solidos tres. Et item pallam vermiculam in domno Juliano, valentem solidum unum. Pallam quotidianam in domno Maximino holoserico ornata, pallas corporales in domno Hilario vel velola ad ostia quotidiana. Item ad pallas super sepulcro sancto <sup>b</sup> holoserica duo, valentia solidos sexaginta. Item pallas super sepulcra quinque Achaica exornatas, valentes solidos quindecim. Item pallam profedatam [Al., prosericam], valentem solidos duo. Item aliam profedatam, valentem solidum unum. Vela ante ipsa sepulcra duo, valentia solidos quinque. Hæc omnia et ornata sanctorum, vel quidquid super sepulcra nostra martyrii Attanensis sanctorum, id est **B** Scipionem diaconem et Aventiolum, quos institimus ipsis custodiendum et studendum ante sanctos, et domno nobis Nicetio diacono sancti Martini consignavimus, simul et de Sisciaco oratorio tribunalia duo valentia solidos quatuor, vela ad ostia tres, valentia solidos sex; turres, calices, pallas et **1314** cooper-toria prædictis martyriis ad custodiendum tradidimus.

Nam et adhuc adjuramus præpositum sancti Martini et monachos nostros Attanenses per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et merita omnium sanctorum, ut in oratorio sancti Hilarii <sup>c</sup>, in cella mea, quinta feria, omni tempore, maturius matutina et missa sanctorum dominorum a monachis ibidem revocetur. Et tectos sanctorum reparari, cum **C** necesse fuerit, jubeatis, hoc est Attano et Sisciaco, admonentes et monachos, et liberos et servos et accolos nostros, ut ipsa loca sancta omni tempore sint munita, sicut mos est, hoc videlicet compositum sicut reliquerimus, sic etiam conservetur ut oportet in Domino Jesu Christo. Illi vero qui nobis vel monasterio atque congregationi nostræ deservire noluerint, a rebus omnibus nostris, tam nobis superstiti-bus, quam post obitum nostrum habeantur extranei.

Attanenses <sup>d</sup> si nobis vivis, monachis Vosidensibus solatia, sicut placuerit, præbuerint, Fextioialo portionem nostram et centum arpennos terræ in Sisciaco prona voluntate donamus; sin vero renuerint solatia præbere, quod eis a nobis donatum est, basilicæ tuæ, sancte Martine, et monachi Attanenses tibi **D** commendata omnia revoces in perpetuum possidendum.

Quidquid vero in hoc Testamento nostro fortasse non comprehensum est, aut ut poni debuit, excessit: si terrula, aut aliqua res mobilis inventa fuerit, ab hærede nostro domno Martino omnia sibi vindicanda revocet. Si mancipiola remanserint, et inventa fue-

*solatia sicut placuerunt præbuerint*. Locus est omnino corruptus. In exemplari Vosidensi plura interseruntur ab Aredio et Pelagia Vosidensi monasterio data, quæ videsis tomo II Analect. Mabillon., pag. 66. Vosidense monasterium, vulgo *Vigeois*, ad Vigennam apud Lemovices olim abbatia, tum prioratus sancti Martialis Lemovicensis, cui præfuit Gaufridus Chronici Vosidensis auctor.

rint foris testamentum, tam qui chartulas libertatis extendierint, quam qui non habuerint, defensante sancto Martino, in libertate permaneant. Et quicunque per chartulas manus nostræ subscriptione firmatas dedimus, omnino valere præcepimus. Si quis autem contra hoc testamentum nostrum venire voluerit, aut aliud quam quod deliberatione nostra ista geritur, ire tentaverit, et hic et in æternum per virtutes sancti et beati domni Martini sit excommunicatus et anathematizatus, et veniat ei illa maledictio, quam psalmus cVIII continet in Judam Scariothis. Si quæ litteraturæ aut caraxaturæ inventæ fuerint, nos eas fecimus, dum testamentum nostrum sæpius relegimus, idque emendare decrevimus.

**A** **AREDIUS**, in Christi nomine peccator presbyter, testamentum nostrum scripsi, relegi, et subnotavi, die et anno quo supra. **PELAGIA** testamentum nostrum relegi et subscripsi die et anno quo supra. **ALSTIUTUS**, rogante domno meo Aredio, et Pelagia, testamentum nostrum ab ipsis factum subscripsi. **1315 CALPURNUS**, rogante domno meo Aredio et Pelagia Testamentum hoc subscripsi, die et anno quo supra. **LEO** rogatus a domno Aredio et Pelagia Testamentum hoc confirmavi, die et anno quo supra. **NECTARIUS 1316** hoc Testamentum confirmavi, rogante domno Aredio et Pelagia.

Sign. † Aidelfi subdiacono.

**B** Sign. † Nectari testis.

## APPENDIX AD OPERA SANCTI GREGORII TURONENSIS, COMPLECTENS ANTIQUA MONUMENTA QUÆ AB EO LAUDANTUR, AUT EJUS OPERA ILLUSTRANT \*.

**CARMEN SANCTI DAMASI PAPÆ DE SANCTIS MARTYRIBUS  
CHRYSANTHO ET DARIA \*.**

(Ex Sarazano.)

His votis paribus tumulum duo nomina servant,  
Chrysanthi, Dariæ, nunc venerandus honor.  
Efferat quem rabies, neglecto jure sepulcri,  
Sanctorum tumulos præda furentis erat.  
Pauperis ex censu melius nunc ista resurgunt,  
Divite sed voto plus placitura Deo.  
Plange tuum gens sæva nefas, periere furores,  
Crevit in his templis per tua danina decus.

**INSCRIPTIO IN ABSIDA SANCTI PANCRATHII <sup>b</sup>.**

(Ex Anal. Mabillon, tom. IV.)

OB. INSIGNE. MERITUM. ET SINGULARE. BEATI. PANCRATHII MARTYRIS. BENEFICIUM. BASILICAM. VETUSTATE. CONFECTAM. IEXTRA. CORPUS. MARTYRIS. ENGLECTI. ANTIQUITATIS <sup>c</sup> EXSTRUCTAM. HONORIUS. EPISCOPUS. DEI. FAMULUS. ABRASA. VETUSTATIS. MOLE. RUINAQUE. MINANTE. A FUNDAMENTIS. NOVITER. PLEBI. DEI. CONSTRUXIT. ET. CORPUS. MARTYRIS. QUOD. RX. OBLIQUO. AULE. JACEBAT. ALTARI. INSIGNIBUS. ORNATO. METALLIS. LOCO. PROPRIO. COLLOCAVIT.

**TESTAMENTUM PERPETUI TURONENSIS EPISCOPI <sup>d</sup>.**

(Ex Spicil. Acheri, t. V.)

**1317** In nomine Jesu Christi, Amen. Ego Perpetuus peccator, Turonicæ Ecclesiæ sacerdos, abire nolui sine testamento, ne fraudentur pauperes iis quæ superna gratia mihi non merito liberaliter et amanter contulit; et ne, quod absit, transeant ad alios quam ad Ecclesiam sacerdotis bona.

Fresbyteris, diaconibus et clericis Ecclesiæ meæ

pacem Domini Jesu Christi do, lego. Amen. Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis; ne sciant schismata; stabiles in fide permaneant; quicunque regulam Evangelii fuerit secutus, sit benedictus omni benedictione spiritali in supernis per Christum Jesum, amen. Et Dominus Jesus occidat impium vento oris sui, amen, amen. Pax Ecclesiæ, pax populo, in urbe, in agro, a Deo et Patre Domini Jesu Christi, amen. Veni, Domine, et noli sustinere, amen. Vobis itaque presbyteris, diaconibus et clericis Ecclesiæ meæ, cum consilio Agilonis comitis, sepeliendum cadaver mortis hujus ubicunque elegeritis, permitto; scio quod Redemptor meus non moritur, et in carne videbo Liberatorem meum, amen. Tamen si indigno mihi feceritis misericordiam, quam supplex postulo, optarem ad domni Martini pedes in diem quiescere judicii: videritis, judicabitis, eligetis; volo, statuo. Ratum jubeo quod vobis dominis et fratribus meis placuerit.

In primis itaque ego Perpetuus, volo liberos esse liberasque homines et feminas quotquot habeo in villa Saponaria, quos emi de mea pecunia, ut et pueros quos in die discessus mei non manumisero in Ecclesia; ita tamen ut libere serviant, quandiu **D** vixerint **1318** Ecclesiæ meæ, sed absque servitute ad hæredes transmissibili et glebatica. Do etiam Ecclesiæ meæ agrum, quem Aligarius mihi vendidit in dicta villa Saponaria, cum stagno. Item molendina supra Carum prope dictam villam; nec non pecuaria, et prata ipsi Ecclesiæ meæ do, lego. Villam de Bertiniaco cum silva et omni redditu, ea conditione, qua mihi a Daniele diacono vendita est, Ecclesiæ meæ pariter do, lego; ita tamen ut de eorum proventibus oleum pareatur pro domni Martini sepulcro indeficiente illustrando: quod si fuerit neglectum, et voluntas mea, quod non spero,

<sup>c</sup> Forsan, *Antiquitas*.

<sup>d</sup> Vide lib. x Hist. Franc. cap. 31, in fine num. 6, col. 567. Ed.

<sup>a</sup> Vid. lib. 1 de Gloria martyrum c. 38, in fine. Edit.

<sup>b</sup> Vide lib. 1 de Gloria martyrum, cap. 39, not. A col. 749. Ed.

\* Hanc appendicem ex integro recudere non sumus veriti, etsi nonnulla in aliis Patrologiæ locis edita jam vel edenda contineat. Lectori enim gratis-

simum fore duximus, si uno tenore suo oculos haberet Gregorii opera necessariumque eorum supplementum. Edit.